

patrocinio Numinis confisus. Quam in rem magnam altamq; crucis effigiem plaustro imponunt, prælatoq; rubro vexillo, ad locum prælii læti properant; ac priusquam acie committantur, omnes prostrati in terram tam equites quam pedites submissi Deum exorant, publicas preces Magdenburgensi Archiepiscopo inter lacrymas ordiente. Post quæ tantus pugnandi ardor incessit Orthodoxos, ut ad primum statim congressum acies Henrici Regis turbata eversaque, Rege inter primos fugiente. Ingens hostium strages facta, quam Sigebertus quatuor millium scribit. Ex Orthodoxis non nisi quindecim desiderati, & triginta saucij memorantur. Inter spolia castrorum reperta ingens Episcoporum supellex sacra. Auctor Apologiæ Henricianæ clavis acceptæ culpam refert in Coloniensis & Traiectensis Episcopi milites, quod hi primi ex acie profugerint. In hunc modum jam quintum turpiter prælio cæsus Henricus Schismaticus Rex. Victori mox etiam Herbipolis cessit, restitutusque Adalbero Episcopus, à Rege ejectus. Nam ob hanc causam hæc arma à fœderatis contra Regem suscepta erant, ut Episcopos ab Henrico Rege depulso reponerent. Redditus tum etiam sedi suæ Altmannus, ad cuius conspectum Timo Schismaticus Passavij Episcopus miseranda morte inter desperationis voces animam è corpore ejecit.

Hentricus  
regali  
prædio  
donat U.  
donem  
Ep. Hil-  
desh.

Sed tanto contentius laborabat Henricus Rex, ut Schismaticos Episcopos in sua factione retineret; ejus quoque rei gratia Udonem Hildesheimensem Episcopum, qui ex Saxonibus ad se transferat, regali prædio donavit, quod ex hisce tabulis cognosci poterit.

*In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus. Omnibus Dei nostrisque fidelibus tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos Ecclesiae Hildesheimensi mediante fidei nostro Undone ejusdem Sedis Episcopo curtem nostram nomine Werla et villas eodem pertinentes, nomine Immenrothe et Fehthere, cum omnibus appendiciis, id est, mancipiis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis et molendinis, campis, silvis et punctionibus, exitibus et redditibus, quæsitis et inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde poterit provenire, in proprium dedimus, excipientes de hac ipsa donatione clientes nostros cum bonis eorum, et silvam, quæ dicitur Harz, cum forestali jure, et Goslariam cum bonis fratrum Goslariensis Ecclesiae. Illa autem supra dicta bona pro mansis ducentis dedimus; ea videlicet ratione, ut si quid ibidem ultro ducentos mansos inveniret, nobis retineremus. Si quid minus, id supradictæ Ecclesiae aliunde suppleremus. Et ut nostra hujusmodi donationis auctoritas omni ævo stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi et sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

*Signum Domini Heinrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti.*  
Herimannus